10.8.272

Digitized by Google

ALLA SANTITA'
DI NOSTRO SIGNORE
PAPA
CLEMENTE XII.
TRIBUTO
DI VENERAZIONE, E GRATITUDINE
DELLA CITTA'
DI CESENA
Per li decorosi, ed utili Privilegj
DALLA SANTITA' SUA
AD ESSA RESTITUITI.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

IN PADOVA. CIↃIↃCCXXXII.
PRESSO GIUSEPPE COMINO.
Con Licenza de' Superiori.

LATINA MONIMENTA.

Digitized by Google

CLEMENTI XII.
PONT. OPT. MAX.

Conſules, & Magiſtratus Urbis Cæſenæ Felicitatem.

NEMO eſt, PATER BEATISSIME, in hac Tua Flaminia Provincia, qui

ignoret, quot, & quibus nos Beneficiis Munificentiſſimus cumulaveris. Omnes Clementiam in nos Tuam, omnes præcipuam, ac plane ſingularem amoris ſignificationem ſuſpiciunt, ac admirantur; intelligunt, eam gratiarum actionem a nobis adhibendam, quæ a ſubjectis gentibus Principi ſuo, ab oppreſſis adverſæ

ſæ fortunæ injuria, atque impetu, Reſtitutori Rerum ſuarum, Patri Optimo debentur. Nobis enimvero quoties occurrunt memoriæ Beneficia Tua (occurrunt autem quoque temporis momento) toties ad gratiſſimum animum oſtendendum vehementiſſime commovemur. Sed nos angit, ac torquet Beneficiorum ma-

gnitudinem dimetientes, quod rependere quicquam iis dignum non valeamus; tum noſtra gratiarum actio ejus generis eſſe non poſſit, cujus eſſe, judicio ſapientum omnium, eam oporteret. Sed quid? an tacebimus igitur? an grati animi ſignificationem dare nullam prudentius exiſtimabimus? At beneficium non profite-

fiteri, non recordatione
profequi, non ornare
laudibus, ingrati homi-
nis eſt. Si hoc uteremur
conſilio, nos perinde a-
gere nobis videremur,
ac ſi nihil a Clementia
Tua eſſemus conſecuti.
Qui tenui ratione gra-
tias agunt, inopes qui-
dem, ſed non immemo-
res beneficiorum appel-
lantur: tenuitas autem
pendet a fortuna, nihil-
que

que habet vitii; cum oblivio, contra, eorum quæ quis alteri benigne attribuerit, in turpiſſimis vitiis numeretur. Itaque in animum induximus dare operam, ut hoc, qualecumque, literarium monumentum exſtaret, in quo certatim Eruditi Viri Cæſenates cum ſoluta, tum obſtricta pedibus oratione, Latine, Etruſce-

que

que Munificentiam Tuam in nos prope divinam celebrarent. E marmore Simulacrum Tuum excitavimus: ſed juſta reprehenſione non caruiſſemus, ſi quam animo concepimus Tuam, hoc eſt, Juſtiſſimi, Beneficentiſſimi, Amantiſſimi Principis, Imaginem, non etiam literis expreſſiſſemus, ut duabus rebus maxime duratu-

raturis, marmore, & ingeniorum lucubrationibus ad ſeram poſteritatem Beneficiorum Tuorum memoria proderetur. Quod ſi TU, PATER SANCTISSIME, mirum in modum humanitatem Tuam erga nos, & comitatem hactenus oſtendiſti, ſummis precibus enixe, demiſſeque abs TE petimus, ut eadem uti velis in hoc munuſcu-

ſculo accipiendo. Id ſi impetraverimus, eamdem lætitiam, quam nobis peperit Munificentia Tua, plane reguſtabimus: Munificentiæ ſiquidem tribuemus, quod tenuem grati animi ſignificationem juſtæ gratiarum actionis loco, quam TIBI debemus, accipias. Ad Sanctiſſimos Pedes Tuos animis procumbentes,

TI-

TIBI diuturnum imperium, fausta, & felicia cuncta ominamur.

LE-

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

QUANDOQUIDEM *in hiſce literariis monumentis ſæpiſſime incidit mentio Simulacri, quod* CLEMENTI XII. *Pont. Opt. Max. Juſtiſſimo, Mu-*

Munificentiſſimo, Rerum hujus Urbis Publicarum, ad decus, ad utilitatem, ad jucunditatem Reſtitutori, in Aula noſtrarum Ædium excitavimus hoc Anno a Reparata Salute CIↃIↃCCXXXII. *opportunum duximus ipſum quoque Simulacrum, & ornatus, qui circumſtant, & adjectam illis Inſcriptionem, quæ ex Urbe Roma huc ad nos allata ſunt, tibi*

ob

ob oculos ponere, ne quid ſit quod abs te jure deſiderari; a nobis negligenter prætermiſſum videri poſſit. Hæc te ſcire cupiebamus. Vale.

HERCULIS FRANCISCI
COMITIS DANDINI
ORATIO
HABITA
CÆSENÆ
IN ÆDIBUS SENATUS,
CUM ANTE
CLEMENTIS XII.
PONT. MAX.
SIMULACRUM
Ob accepta Beneficia excitatum gratiæ quoque publice agerentur.

ORATIO.

LÆTISSIMUS, qui omnium oculis obverſatur, apparatus; Eruditorum Virorum hic cœtus ornatiſſimus; Civium ex quocumque ordine concurſus; in omnium ora ſe ſe efferens animorum hilaritas, &, quod caput eſt, Pontificis Maximi, Parentis optimi, Principis amantiſſimi CLEMENTIS XII. e marmore Simulacrum, quod ante nos con-

conſtitutum veneramur, veluti tot linguæ ſunt, quæ Orationis, quam ſum habiturus, vobis argumentum non leviter commonſtrare, ſed aperire luculentiſſime poſſunt. Itaque hic ipſe conſpectus, qui me non ignarum, quam eloquentia parum poſſim, terrere potiſſimum debuiſſet, & cohibere, ne in hoc lectiſſimo theatro dicendi provinciam ſuſciperem, contra mihi alacritatem adfert, & ad mandatum mihi munus ultro, ac libentiſſime obeundum impellit. Video enim, nihil eſſe cui infantia mea tenebras offundat: video, vos apprime intelligere, quo conſilio in hunc locum una convenerimus, ut CLEMENTI XII. Pontifici Maximo, rerum hujus Urbis publicarum munificentiſſimo Reſti-

ſtitutori, gratias, quas liceret, maximas ageremus. Pleraque igitur cum & parietes ipſi, & eorum ornatus, & omnium ordinum frequentia appoſite loqui, ita dixerim, videantur, quid ſupereſt mihi, niſi ut eorum tamquam clariſſimum ſermonem Oratio mea perſequatur? Neque enim ſi quis e longinquis regionibus peregre adveniens huc forte pedes intulerit, eum, modo ſapiat, ignarum futurum puto hujuſce conſilii, ubi primum nos omnes ante Pontificis Maximi Noſtri Simulacrum frequentes, & ad dicendum paratos adſpexerit. Unum illi fortaſſe ignotum, quod vos cives meos non latet, nos quidem huc non tam ad ingentes Pontificis Maximi Noſtri laudes extollendas, quam gratiarum

agendarum cauſſa conveniſſe, eo nomine, quod publicis rebus noſtris ita ſquallorem deterſerit, eaſque labefactatas, & convulſas ita reſtituerit, nihil ut ab amantiſſimo cive, cui facultas idipſum perficiendi fuiſſet, non dicam poſtulare, ſed ne ſperare quidem magis potuiſſemus. Atque in hoc etiam maximum mihi levamen intueor, quod non eam ingenii vim, non eam dicendi facultatem in me agnoſcam, quæ neceſſaria fuiſſet, ut ipſum ornarem ſatis pro dignitate, qui eximia vitæ innocentia, ſtudio rerum Eccleſiaſticarum, optima juvandi humani generis voluntate, gravitate, ſapientia ſingulari cum præſtantiſſimis qui ante illum Pontifices Maximi floruere, ſit conferendus. Quamobrem

rem non haſce mihi dari nunc partes intelligo, ut exponam, quam egregie, ac laudabiliter Sanctiſſimus Pontifex a prima adoleſcentia virtutis viam ingreſſus ſumma cum Reipublicæ Chriſtianæ utilitate, per eam perpetuo ire perrexerit. Silentio præteribo quæ ab ipſo, dum Antiſtes in Aula Romana eſſet, & excogitata ſapienter, & dicta conſtanter, & fortiſſime adminiſtrata ſunt, quæque non in ſemota aliqua Orbis parte, ſed in clariſſimæ Urbis luce verſata, ferme incredibile dictu eſt, quod amplum, & late fuſum decus eximio Viro, quas ingentes laudationes pepererunt. Mittam, cum inter Purpuratos Patres adlectus fuiſſet, quo ſemper tenore nil niſi quod præſtantiſſimum, atque

que heroicum videretur, & consilio deligeret, & actione præstaret. Quo factum est, ut jampridem ei Pontificatus Maximus votis bonorum omnium deferretur; ad quem tamen dignitatis gradum occulto Divinæ Providentiæ consilio in hæc tempora reservatus intelligitur, ut qua est Ipse mentis prudentia, qua justitia, qua constantia, & animi robore, gravissimis Ecclesiæ Romanæ incommodis mederetur, & opportune ad Navis Petri gubernaculum manus admoveret, cum illam turbulentissimi fluctus urgerent vehementissime, ac divexarent. Quemadmodum apud eos qui aut ad bellum, aut ad merces convehendas mari se, navesque suas credunt, in more positum est, ut non antea peri-

ritiſſimi naucleri operam exquirant, quam horrendum proximi, atque imminentis naufragii periculum ſe objiciat. Non mihi nunc laudanda ſumma illa humanitas, morumque ſuavitas, qua orationem, actioneſque ſuas ita ſemper temperare ſolet, ut cum nihil in gravitate, ac dignitatis majeſtate aſperum, atque ſeverum, tum vero nihil etiam plus juſto demiſſius appareat. Qua comitate, ac benignitate omnium ſibi ordinum animos ita in omni vita devinxit, ut olim Titus Pomponius Atticus Romanorum ſapientiſſimus, cujus eſt in vita, ſic erga omnes illum ſe geſſiſſe, ut æqualis infimis, par principibus haberetur. Eamdemque benignitatem Maximus Optimuſque Pontifex

No-

Noſter quaſi condimentum quoddam eſſe ducens majeſtatis, ne nunc quidem ab ſe disjungendam exiſtimavit, cum in tam excelſo dignitatis gradu eſt collocatus, ut humanam prope conditionem prætergreſſus dici poſſe videatur. Et morum quidem ſuavitati ſi cum per opes & facultates licet, adjungendam liberalitatem ſapientiſſimi viri monuerunt, ſine qua manca illa quodammodo videtur, minimeque utilis, atque opportuna; multa vobis ſane proferre poſſem exempla Munificentiæ, quam prudentiſſimus hic Noſter Princeps adhibuit, non ad prodigalitatem, & luxum, non ad meram voluptatem, ſed ad animos eorum honeſtiſſime recreandos qui diem integrum juri dicundo præeſſe ſum-

ſummo cum labore ſolebant. Hos enim aliquot horas noctis tranſigere apud ipſum optantes in ſplendidiſſimum cubiculum inductos benigne, & comiter excipiebat. Delectabantur illi in primis humaniſſimo ac ſapientiſſimo tanti Viri ſermone; tum vero adſpectu ampliſſimi cubiculi, & fornice egregiis picturis obducto, & ſignis, & pictis tabulis, & nitore ſupellectilis omnis ornatiſſimi; quæ & ipſa quoque Domini ſui prudentiam, decus, liberalitatem, ordinis pulchritudinem ab eo laudabiliſſime comprehenſam animo cum oſtendere, tum commendare videbantur. Ibi ſuaviſſima honeſtiſſimorum aut colloquiorum, aut ludorum conſuetudo: ibi ſales innocui, lepor cum gravitate, virtus

tus cum voluptate mirifice conveniebant. Eo etiam ſæpenumero Muſæ confluere conſueverunt; eo cultiores quæque doctrinæ; dum celeberrimi Quirinorum cœtus, qui tam præſtanti Viro Academiæ Patrono gloriabantur, eximia ibi ſeu Latino, ſeu Etruſco ſermone literarum monimenta proferebant. Quos inter (ut id maximi honoris mei cauſſa commemorem) ipſe cooptatus, de Antiquorum Fecialium Jure diſſerui vernacula oratione; quæ tametſi rudis, & incomta eſſet, me tamen Vir Ampliſſimus non modo æquo animo tulit, ſed humaniſſime etiam probavit. Non mihi tandem repetenda quæ ab egregiis Florentinarum rerum Scriptoribus de inclyta CORSINIORUM Familia, unde

unde ortum duxit, memoriæ prodita ſunt. Tot illa quidem, ac talia recenſentur, e quibus educere ſingularem quamdam laudationem liceret. Neque enim inanis cujuſdam philoſophiæ ſectatores Cynicos, qui nobilitatem, potentiam, opes contemnebant, in iiſque nihil ad homines honeſtandos ineſſe præſidii pronuntiabant, audiendos puto, quippe quorum opinio conſenſu ſapientum omnium prorſus exploſa eſt, & cum Cynicorum nomine in oblivionis tenebras amandata. Viderunt enim graviſſimi viri, ut in cubiculo, in quo fax luceat, altera ſi addatur, gratiſſima eſt, & utriuſque lumen unius lumine commodius exiſtimatur; ita cum ſui nitorem generis novo ſplendore cumulat

is

is quem virtus ornatiſſimum reddit, longe majus Reipublicæ bonum, ac decus obvenire, quam ſi ab unius hominis dumtaxat virtute proficiſceretur. Hic mihi veluti ſeges copioſiſſima ſuppeteret earum laudum quæ Nobiliſſimæ CORSINIORUM Familiæ debentur, cujus permulta numerantur & belli, & pacis artibus præclariſſime geſta, unde maxima ſemper cum præſidia, tum ornamenta & Florentinis, & Romanis rebus obvenerunt. Itaque ne attingam quidem hoc loco quippiam de PETRO CORSINIO, qui ab Urbano V. Pont. Max. ad conciliandam inter Chriſtianos Principes Carolum IV. Imperatorem, & Joannem ejus fratrem; tum etiam inter Luduicum Pannoniæ Regem, & Rodulphum Auſtriæ

ſtriæ Regulum optatiſſimam pacem ablegatus, non modo rem feliciſſime confecit, ſed & ab eo a quo legatus, & a Carolo IV. ad quem in primis acceſſit, gratiam ſapientiſſime inivit. Ipſum Urbanus V. inter Purpuratos Patres adſcivit. Eumdem Carolus IV. Imperator, Volaterrarum, mox Florentiæ Antiſtitem, diplomate ornavit, quo S. R. I. Principem fecit, cui & poteſtatem tribuit, hujus ipſius dignitatis in eos qui ſibi ſucceſſuri forent, propagandæ. Sileam quoque neceſſe eſt AMERICUM CORSINIUM, qui primus Florentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus a Martino V. præficitur: quare ab Antiſtite præclariſſimo e Gente CORSINIA Urbs Florentina initium repetit novæ, longeque amplioris digni-

tatis. Quemadmodum eos qui Eccleſiæ muneribus claruerunt, debitis laudibus non exorno; ita nec eos etiam qui Principum negotiis interfuerunt, præfueruntque ingenti cum ſui nominis gloria, atque præconio. Quorum e numero proferendus mihi in præſens videretur NEREUS CORSINIUS, quem Romana Eccleſia nuper Cardinalem adepta eſt; cujus eximii Viri quæ in celeberrimis conventibus, cum de publica Orbis Chriſtiani pace ageretur, atque ipſe Magni Ducis Etruriæ nomine adeſſet, & abſoluta rei perficiendæ facultate potiretur, diligentia, ſedulitas, prudentia exſtiterit, perſpectum memoria noſtra abunde omnibus eſt, crebriſque ſermonibus uſurpatum. Immo ne fulgidiſſimum qui-

quidem CORSINIÆ familiæ lumen ANDREAM in Divorum album relatum proponam, nec iis laudibus cumulabo quæ illi ab Univerſi Chriſtiani Orbis nationibus tribuuntur. Jam enim ad gratias Beneficentiſſimo Principi agendas oratio properat, ut vobis obſequatur, quos ad id ipſum exſolvendum præcipua quadam animorum alacritate, & contentione paratos, atque ab ingenio, doctrinaque inſtructos intelligo. Magnum, Auditores, ac ſingulare Beneficium, quod CLEMENS XII. huic Urbi munificentiſſime contulit: ſed & illud ſummi quoque Beneficii rationem habet, quod non ſero, non poſtquam graviſſimis Eccleſiæ rebus conſuluerat, ſed ipſo ſui regiminis initio, inter maxima-

rum rerum curas de hac Urbe & cogitationem ſuſcepit, & ejuſdem mederi incommodis voluit. Seu natura, ſeu moribus hominum. comparatum eſſe, ſatis conſtat, ut quantum in quaque re boni ſit, atque utilitatis, maxime tum ſentiamus, cum ea nobis deeſt. Otium, ac tranquillitas pacis eſt civibus ſemper quidem jucunda; ſed iis quos acre bellum antea divexarit, inſtar improviſæ, atque inopinatæ lucis affulget, unde incognita quadam prius lætitia omnium animi perfunduntur, ac diffluunt; quod enim antea uſu, & conſuetudine mirum quiddam non habebatur; deinde ablatum per adverſam fortunam optatiſſimum eſſe incipit; ubi demum, cedente illa, recuperatur, nec-

eſ-

eſſe eſt, ut quibus maximum illius deſiderium ſubortum fuerat, iiſdem reſtitutum cumulatiſſimam adferat voluptatem. Floruerat olim hæc Civitas; & quia inter maximos Flaminiæ Provinciæ tumultus, quos Tyranni ſubducere urbes Pontificiæ ditioni omni conatu adnitentes excitabant, fidiſſima Romano Pontifici ſemper fuerat, eximiis a Pio II. Paulo II. & Julio item II. aliiſque Maximis Pontificibus ornata beneficiis ſeorſim ſibi tributis, tranquille, pacateque vivebat, fructumque colligebat egregiorum operum, propter quæ Auguſtorum Cæſarum quoque jam ante gratiam, & benevolentiam fuerat conſecuta; uſque adeo, ut ad Senatum Urbis Cæſenæ Conſtantius, & Conſtans Auguſti

literas dederint; eique præcipua quadam ratione consuluerint, ad eum plane modum quo Carthaginensium Senatui consuluerant. Quas literas Theodosius Augustus in Codicem suum collectas posteritati legendas reliquit, & superiori sæculo Jacobus Gottofredus jurisconsultus eruditissimus notis illustravit. Hæc, inquam, ornamenta illi jucunda erant. Sed longe jucundissimum fuit, Beneficentissimi Pontificis Nostri Clementia, & miseratione recuperasse, quæ sibi demta nunc primum fuisse Civitas omnis ægerrime ferebat; privata enim cum esset, quibus careret ornamentis, & commodis non modo intelligebat, sed eorum desiderio vehementissime commovebatur. Si Publicum Gymnasium a Pontificibus Maximis

ximis inſtitutum, donatumque poteſtate dicendi Doctores eos candidatos qui liberalibus diſciplinis operam navaſſent; tum vero ſtudioſorum frequentia, & ſcientia atque eruditione Præceptorum illuſtre prius, & laudatiſſimum, quis ingrediebatur, non priſtinam Gymnaſii faciem, imminutum Præceptorum numerum, extenuata ſtipendia, ſitu prope, & ſquallore obducta omnia intuebatur. In Senatum ſe contuliſſet? ea ſublata cernebat quæ ad illius cum utilitatem tum dignitatem valde pertinuiſſent; in primiſque turbatum imperium, quo Portum Cæſenaticum, adjectumque illi Pagum ad oras Maris Adriatici ſitum Feudi jure moderabatur. Per forum gradiens Civicos Ludos quæſiiſſet?

hoſce etiam negatos audiviſſet, quibus jampridem populus honeſtiſſime recreabatur. Quid dicam de Jure Prætorio in deterius mutato? quid de publicorum Fontium cuſtodia imminuta? quid de ſublato Præfecto ſyngraphis recognoſcendis, quas cum oborta ſuſpicio peſtis diffunditur, ad Portum appellere qui cupiunt, ut probent bona ſe valetudine frui, exhibeant, neceſſe eſt? Id negotium maximi quidem momenti, & in quo ſalus publica continetur, negligentius profecto adminiſtratum fuiſſet per eos quibus nuper impoſitum, aliis & quidem non exiguis muneribus impeditos. Itaque ad arcendum adeo perniciosum morbum ſubductam diligentiam, ac ſedulitatem querebamur; maxime-

que

que timendum erat, ne qui clam inſinuat ſe ſe, ac facili ratione morbus, in Flaminiæ Provinciæ viſcera penetraret, atque inde ad reliquas Italiæ partes miſerandum in modum graſſaretur. O luctuoſam rerum noſtrarum conditionem! Non eſt cur vobis eam ob oculos ponere magis nitar: recens infortunium eſt: non majores noſtros, ſed nos ipſos attigit: non monumentis legendis, illud quantum fuerit, cogitatione comprehendimus, at oculis ipſis uſurpavimus. Sed an hæc eadem poſteri non cogitatione repetiiſſent? non culpa contigiſſe noſtra exiſtimaſſent? Hæc ferme ſolet mens eſſe pleriſque mortalium, ut quæ mala alicui populo acciderint, ea merito accidiſſe putent, neque a cul-

pa

pa omnino abeſſe illos qui vexentur. Atque ad id eo magis obfirmant animum, quo ille excellentior qui calamitates infligit; propterea quod rationem quamdam legitimæ pœnæ tum habere videantur. Mærorem itaque juſtiſſimum hæc Civitas contraxerat cum præſentis infortunii vulnere, tum metu, ne poſteri dignam illam caſtigatione fuiſſe, judicarent. Neque vero ſpes ulla dolorem minuebat. Nimium confirmata erant quæ nobis adverſabantur, & auctoritate, quæ non ſatis jure obtendebatur, & extima quadam ſpecie juſtitiæ. Ut hæc delerentur, optandum magis, quam ſperandum videri potuiſſet. Jam per voſmetipſos intelligitis, Auditores, quo ſenſim ſe flectat oratio. Suſtulit amantiſ-

tiſſimus Princeps CLEMENS XII. mæroris cauſſam; lacrimas abſterſit; metum, ne gravi apud poſteros ignominia laboraturi eſſemus, omnino ex animis noſtris dejecit. Gymnaſio priſtinam ſtudiorum alacritatem, auditorumque frequentiam; Senatui dignitatem, atque imperium; Civibus Ludos Publicos reſtituit, quos aliis Flaminiæ populis non conceſſos peculiari quodam jure hæc Civitas exercebat: neque vero id adeo, ut voluptati indulgeret, quam quia ii Ludi egregiæ fidei Cæſenatium erga Pontifices Maximos memoriam præferebant. Jus Prætorium redintegratum. Publicorum Fontium cuſtodia reſtituta. Neceſſaria, ſi quando peſtis ſuſpicio per non longinqua loca dimanet, ejus aver-

ten-

tendæ cura, ſtudiumque, ut ante erat, juſſum, atque præſcriptum. Utque paucis complectar, quæcumque aut ex Pontificum Maximorum Privilegiis profecta fuerant, aut municipali jure conſtituta cum ad decus, tum ad utilitatem hujus Urbis pertinebant, eaque non multo ab hinc tempore per adverſam fortunam amiſeramus, omnia nunc feliciſſime conceſſu, & munere Principis amantiſſimi recuperavimus. Sæpe majorum audivi ſermones, qui beneficentiſſimis erga hanc Urbem Pontificibus Maximis gratias habendas eſſe, poſteritatem monebant. Nullus vix fari puer incipit, qui non eorum Pontificum nomina libentiſſime & memoriæ mandet, & voce pronuntiet. Solet enim

qua-

quaſi per manus tradita ab atavis in poſteritatem recordatio progredi beneficiorum quæ Principes alicui populo contulerunt. Sed qui unum aliquid liberaliter largitus eſt, ei grati animi ſignificatio debetur: qui plura vero, gratiſſimi. Singuli priſcis temporibus Pontifices Maximi ſingula Beneficia huic Urbi tribuerunt, quæ non ita pridem nobis ademta. Quid CLEMENS Noſter? Unus ipſe cuncta reſtituit; atque in ſe uno eorum omnium Liberalitatem, ac Beneficentiam repræſentavit. Illi niſi in hanc Urbem, inter tot tumultus Flaminiæ Provinciæ ſibi fidiſſimam, liberalitate utendum cenſuiſſent, juſtitiæ fortaſſe defuiſſent. Igitur quæ conceſſa ab illis remunerandæ fidei gratia fuerunt,

runt, poſtea infortunio quodam ſubtracta dum unus CLEMENS reddi juſſit, unus ipſe tam juſtitiæ cultor, quam illi omnes apparuit. Hinc merito quos optatiſſimarum rerum angebat deſiderium, nunc tenet hilaritas, nunc gaudium, nunc voluptas: hilari vultu alter alteri publicam felicitatem gratulatur: Beneficii magnitudinem omnes agnoſcunt, omnes laudibus ornant: ſed quæ tamen augetur mirum in modum, ex ipſius conferendi ratione, quam iniit amantiſſimus Princeps, & ex ipſo tempore quo Beneficium impertitus hic fuit. Enimvero nos præſentes ſummum quiddam ducere debemus, fortaſſe vix credet poſteritas, CLEMENTEM XII. Pont. Max. cujus Pontificatus incide-

rit

rit in tempora Chriſtianæ Reipublicæ difficillima, ut maximis undique curis circumflueret, jam inde ab initio res quoque noſtras cogitatione, ſtudio, amore complecti voluiſſe. Quantum id nobis glorioſum futurum eſt ex annalium memoria! Hæc enim ſecum poſteri noſtri reputabunt: Quo tempore, afflictæ huic noſtræ Patriæ ab amantiſſimo Principe ſubventum eſt? quo primum tempore Sedes Apoſtolica opem ab illo & neceſſariam poſtulavit, & feliciſſime conſecuta eſt. Quis Pontifex is fuit? CLEMENS ille XII., qui mente, conſilio, vitæ integritate, juſtitia tot præclara geſſit, quibus Catholicæ Eccleſiæ obduxit vulnera, majeſtatem & reſtituit, & amplificavit.

Igi-

Igitur, inquient, cogitatio afflictæ conditionis hujus Urbis inter præcipuas rerum maximarum cogitationes locum tenuit : cujus in mente ? non privati hominis: non mediocris animi, mentisque Principis : ſed ſapientiſſimi ; ſed juſtiſſimi. Ipſum infortunium quod paſſi fuimus, utile nobis judicabunt, quod ejus cauſſa Beneficium adepti ſimus ubertate ſua tam ſuperans acceptum detrimentum, quam ſi cui fons ſubductus eſſet, eidem perenne flumen concederetur. Nam & quæ amiſeramus reddita ſunt, & id ita factum eſt, ut multo honorificentior hæc reſtitutio quam priſtina largitio nobis acciderit.

O Patrem, o Principem Beneficentiſſimum! Profecto ſi, ut inquit Seneca, omnis

omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis cito facere, huic Urbi, qua TIBI nulla devinctior; Optime Princeps, abunde oſtendiſti ut benigno ſis in eam animo, ut libentiſſime ad Beneficium conferendum TE adduxeris. Si tantum gratiæ demitur, quantum adjicitur moræ, ut Comicus ille ait apud Senecam, quis, contra, non videt Beneficii magnitudini tantum abs TE additum, quantum in eo largiundo celeritatis adhibuiſti? Et cum hac celeritate uſus fueris eo tempore quo glorioſum in primis accidit huic Urbi, TE de illa cogitationem ſuſcipere voluiſſe, vide in quantam Beneficentia Tua ſe extulerit magnitudinem. Patere igitur, quoniam gratiæ referendæ TIBI

Principi, ac Domino nos ſubjecti nullam aliam inire rationem poſſumus, patere, inquam, Princeps Clementiſſime, ut ſimul convenientes ad Tuam laudationem, ad oſtendendam cum Beneficii, quo nos auxiſti, magnitudinem, tum ſumma benevolentia refertam illius conferendi rationem, promanus aliquid, atque idipſum monumentis literarum, quæ longæva ſolent eſſe, conſignatum velimus. Nam & æquum eſt ut nos præſentes, qui eximiam Tuam liberalitatem juſtitiæ ſociam experti ſumus, illam qua arte & facultate nobis licet, celebremus: & quoniam in poſteros quoque noſtros Beneficentiæ tuæ fructus manabunt, eos poſt diuturnum tempus cum jam alloqui non poterimus,

per

per monumenta literarum excitemus ad TUI memoriam, Optime Princeps, ſæpiſſime recolendam. Exiguum quiddam rependimus: at non exigua adfectio illa animorum qua ferimur, ut TIBI gratæ mentis indicium aliquod ea ratione qua poſſumus, præbeamus. Si paria paribus perpetuo referenda eſſent, tenùjores potentioribus ingrati ſemper viderentur. Ut enim non poteſtas ſine voluntate; ita nec voluntas ſine poteſtate perficere grande aliquid valet; quare prudens dixerit nemo, nihil ab eo præſtari oportere qui pares referre gratias non poſſit. Poſtrema gratiarum agendarum clauſula hæc eſto: Votis omnium noſtrorum annuat DEUS: TIBI diuturnum vitæ ſpatium: TIBI fauſta omnia, quibus

publica Christianorum salus, atque tranquillitas, quibus Apostolicæ Sedis felicitas continetur, copiose affluenterque largiatur.

CAR-

CARMINA.

CAROLI FATTIBONI COMITIS.

CLEMENTIS placido cernite munere,
Ut nox a patriis fugerit horrida
Oris, quæ tenebris volverat omnia,
Hanc Urbem, & populos: en volat impia,
En ſe Cimmeriis finibus abdidit.
Indignum facinus credidit Optimus
Princeps ſi populus, plurima, raraque
Exempla ediderat qui fidei ſuæ,
Vix digna Scythicis nocte ferocibus
Oppreſſus jaceat, luridus, & miſer.
Jam rerum facies priſtina lumine

Affulget rutilo; jam micat undique;
Jam Sapis, Rubicon litore fulgido
Subſultant hilares, dulciaque audiunt
Expreſſa a patriis carmina oloribus;
Qui læti celebrant, ut Pater Optimus
CLEMENS huc radium fulguris in modum
Miſit, qui tenebras illico fuderit,
Dum Ludos retulit per fora Publicos,
Dum ſartum imperium Munificus dedit,
Dum clarum Patriæ reſtituit decus.

CONSTANTINI GUIDI *MARCHIONIS.*

CUR, Princeps, leni vociteris nomine CLEMENS,
Hic TIBI quæ ſurgunt ſat Simulacra docent;
CLEMENTEM TE eſſe ipſa etenim Clementia monſtrat,
Quæ TIBI in ore ſedet, qua populoſque regis.

EJUSDEM.

MUNERA, Cæſena, inſculpe; almum inſculpe Datorem
Marmore CLEMENTEM: pectore Dona tuo.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI COMITIS.

NOn oculis credam, candenti e marmore ſculptam
Principis Eximii Formam teſtantibus unam
Cernere ſublimi nos ante in ſede locatam,
Quam circum ludunt molles imitata corymbos
Marmora, & ornatus, docta qui ſplendet ab arte.
Jam tandem, fateor, cupidis ſpectare verendum
Fas oculis vultum; jam læti plaudimus; una
Attoniti irrumpunt populi, gaudentque tueri
Illius Effigiem magni Regnator Olympi
Quem dedit afflictæ gnarum ſuccurrere genti,
Turbatæ Petri atque arcere pericula Navi:
Qui ſimul hanc Urbem triſtem fractamque dolore
E medio adverſæ fortunæ educeret æſtu.
Hæc oculis objecta patent: ſed plurima cernit
Mens quoque non tenui pervadens lumine, & ora
Mira videt, pulchraque nitentia corpora veſte.
Contemplor, noſcoque genus, munuſque dearum;

CLE-

CLEMENTIS Simulacro adſtant, hilareſque venuſto
Applaudunt geſtu: ſocias in rebus agendis
Virtutes noſco eſſe illas: hinc grandia facta:
Heroum hinc ille unus; & hinc felicia quæque
Sunt nobis ſperanda: latus tenet altera dextrum,
Juſtitiæque gerit nomen, princepſque ſororum
Se oſtentat, ſimul & dulci Clementia vultu
Pone ſubit caram ſemper comitata ſodalem.
Inde oritur Juriſque gravis Cuſtodia & æqui
Lenis, quæ noſtro conjuncta in Principe, mirum
Ut regnat, vires ut clara ad geſta miniſtrat!
Parte alia vigilis curæ, mentiſque peracris
Adſedit, regnique capit Solertia habenas.
Proxima Honeſtatis mihi pura affulget imago;
Conſilia utrimque & miſcent, & munera jungunt.
Tum dea ſe oſtendit, nimium quæ in vincla timorem
Obſtringit, temere audaces animoſque repellit;
Qua ſine nil agitur clarum, & Conſtantia dici
Gaudet, & impavido propugnat pectore rectum.
Quid memorem cunctas? ſpeciem præferre videntur
Quam præbet plauſus inter, populumque frequentem

Vi-

Victor ovans, amplumque ferens poſt bella triumphum.
Innumeræ prope namque adſtant longo ordine, & omnes
Se formaſſe Virum quo non præſtantior alter,
Jactant, atque ſuam oſtentat lætiſſima quæque
Artem, qua pulchris pinxere coloribus illi
Mentem, animumque, Orbis quem magna ad ſceptra pararunt.
Hæc nequeo uſurpare oculis: mens certa fatetur
Eſſe, atque immenſæ lucis fulgere nitorem:
Non ſecus ac vaſto lapſa eſſent ſidera cælo,
Hic ſtarent & juncta ſimul, queis lumina magnus
Semper inexſtincta præberet lampade Titan.
Cur menti non credam? an non quæ cernit, abunde
Fama canit, lateque oras jam pandit in omnes?
Litora Tyrrheni reboant, tum litus ad undas
Perſonat Adriacas, peramœno & margine laudes
Attollunt Tybriſque, Arnuſque, & lætus Iſapis:
Perſonat altiſonis laudum quoque pulſibus æther;
Illic Juſtitia, atque iſtic Clementia plauſu
Excipitur ſimili: in magnis Solertia rebus

Lau-

Laudatur, ſimplexque ſimul laudatur Honeſtas:
Ardua quæ ſuperat, turpis formidinis expers,
Laudatur Conſtantia; Virtuſque ordine quæque
Grandia habet populos præconia didita in omnes.
Quin ea quæ nequeunt clara ſub Imagine fingi,
Mens videt, & longos monumentis tradit in annos.
Egregio longæva poteſt abolere vetuſtas
Quæ lapide e Pario ſurgunt ſimulacra deorum,
Quando materies fluxa quoque & ipſa laborat
Natura: nullum non traducuntur ad ævum
Carmina; non prohibet tineis ſubjecta papyrus,
Non diuturna ætas: viridi ſua tempora Phœbus
Nam cingit lauro ſemper, cinguntque Camænæ,
Fronde nova intextam ſervantque in ſecla coronam.
Eja igitur ſacri Phœbo vos carmine Vates
Plaudite: longævum pertingere marmora tempus
Si nequeant, ea Muſarum ſuperate lepore,
Et juvet æternis Benefacta intexere chartis
Principis, & noſtræ tribuit quæ commoda genti,
Ut ſeri grata admirentur mente nepotes.

EJUS-

EJUSDEM

Ad JOANNEM ANTONIUM VULPIUM, *Vir. Clariſſimum, ſibique amiciſſimum.*

O Qui Caſtalidum tutus juga ſacra pererras,
Doctaque cui gratum perluit unda ſinum;
Dum lubet, ad numeros cogenti verba Latinos
Cui nitidus Latii prodit ab ore lepor;
Dum lubet, Etruſco potis es qui ſurgere cantu,
Et primas laudes carmina culta ferunt:
O mihi pars claræ ſi parva obtingeret artis,
Vulpi, qua egregios tollis ad aſtra viros,
Dignum opus aggrederer, quo noſtra tumeſceret ætas
Non priſcis Heroum invida temporibus:
CLEMENTIS magno fulgerent nomine chartæ,
Supremos inter fulget ut Ipſe Patres.
Inclyta Majorum longos numerata per annos
Geſta recenſerem ſedulus, & decora:
Quæ incendére Virum ad pulchræ Virtutis amorem,
De face ut incendit prona favilla facem,
Et poſtquam exarſit non diſpar lumine ſplendet,
Luce æquat celebres Noſter ita unus Avos.

Di-

Dicere rite mihi, laudum ſine fraude, liceret,
Semper ut innocuos vixerit ille dies;
Præſidium ut Virtus nacta ingens lumina tollat,
Atque ſuum teneat nunc rediviva locum.
Egregias Doctrinæ artes ut juſta ſequantur
Præmia; ut ingeniis pabula tradat honos;
Ut Pietas, ut Religio ſub Principe regnet,
Et formet mores cum Jove Roma ſuo:
Noſtraque tam facili quod vota receperit aure,
Reddiderit leni munera demta manu,
Plauderem, & eximios urgerem Sapis olores;
Claraque carminibus litora conſtreperent.
Hei mihi ſubſidunt vires: infenſus Apollo:
Infenſæ Aonides carmina lecta negant:
Audacem appellant, longævis tradere chartis
Inclyta quod tanti Principis acta velim.
Quid poſſum claris igitur tentare poetis
Dignum, ſi optanti Muſa recuſat opem?
Sit voluiſſe ſatis, quando potuiſſe negatum eſt;
Et gratos animos paucula ſæpe probant.
Paucula concinimus, ne intactum nomen abiret
Nobis Illius, qui bona tot peperit.

Sunt

Sunt tamen hic alii eloquio, Muſiſque ſecundis
Qui extollunt celſi grandia facta Viri.
Horum ergo ut celebri cudantur carmina prælo,
Luceat & nitidis pagina culta notis,
Exopto, Patavî curet Cominus in Urbe,
Quem docto, Vulpi, dirigis imperio;
Commoda dum ſtudiis reparas, illuſtria avorum
Scripta jubens noſtris vivere temporibus,
Quæ prope longa dies tenebris involverat atris,
Tergere Pierides nec valuere deæ.
Priſtina dumtaxat non illis munera vitæ
Concedis, das aura uberiore frui;
Doctrina, ingenioque uſus nova lumina præbes,
Queis ſine ſunt patrio pulchra nitore minus.
Hinc librum cupio per te ſplendeſcere luce,
Qua late volitet clarus in Auſonia.
Sed ſi noſtra etiam nihili non prorſus habebis,
Atque meorum aliquo cenſear in numero,
Gaudebo, & dignum quiddam dixiſſe putabo
Principe, cui retuliſſe omnia ſumma decet.

JO-

JOANNIS ANTONII VULPII

ELEGIA

Ad Comitem HERCULEM FRANCISCUM DANDINUM, Virum nobiliſſimum, & literarum laude florentem.

QUOD veſtra excudi Patavino Carmina prælo,
Eque meis optas ferre pedem laribus,
Carmina CLEMENTIS *fauſtum reſonantia nomen,*
Quo levat afflictum Principe Roma caput,
Majoreſque undas volvunt Tiberinus, & Arnus,
Virtute hic pueri lætus, at ille ſenis;
Jucundum eſt mihi; nam ſacros, DANDINE, *poetas*
Miror, & a teneris oſculor unguiculis;
Præcipue ſi perculſi dulcedine laudum
Certent magnanimos concelebrare viros,
„ Æterniſque parent benefacta intexere chartis:
Ne ſtudia, & mores, & merita, & titulos
Deterat heu pennis ablata fugacibus ætas.
Non ſatis hunc famæ conſuluiſſe putes,

Qui de candenti ſimulatos marmore vultus
Inſtat, & aerias ponere pyramidas:
Scilicet ut veterum monumenta inſignia regum
Grata olim poſſit noſcere poſteritas.
Nam ſæpe horriſono decuſſa Aquilone videmus,
Et domita a pluvio ſaxa, vel æra Jove.
At quos frondoſi vexere ad culmina Pindi
Aurea formoſæ pignora Mnemoſynes,
His non imber edax, non ſævi flamina venti,
Non clades rerum, aut ſæcula ſera nocent,
Vitare immemorem quin poſſint clara paludem
Nomina, & extremas pervolitare plagas.
O felix igitur, qui vos & honoribus auxit,
Donaque tot veſtram contulit in Patriam,
Quæ ſibi fortunam, & fatum male flebat amicum:
Nunc Solem ruptis nubibus exſerere
Fulgentes cernit radios, faciemque ſerenam.
Nimirum hæc CLEMENS *otia reſtituit.*
Cui licet Orbis onus magna cervice recumbat,
Horaque commiſſo a pondere nulla vacet,
Et modo ad Occaſus mentem, modo flectat ad Ortus,
Dum reſponſa petit gens alia, atque alia,

Vos

Vos tamen aſpexit ſolio ſublimis ab alto,
Reddidit ac multo fœnore ademta Bona.
Tu CÆSENA *Viri non ultima cura fuiſti:*
Ille modum tantis impoſuit lacrimis.
Fortunata! tuos quæ nunc hortaris alumnos,
Ut citharam gelidas ad Rubiconis aquas
Expediant, liquida mulcentes æthera voce;
Doctaque CLEMENTI *Carmina perſoliant.*
Qui ſive Etruſco malint pede, ſive Latino
Concinere, & laudes Principis egregii
Venturis mandare nepotibus; alite dextro
Id faciunt: neque enim ſegnities animos
Occupat, aut ſanguis circa præcordia torpet:
Verum dilectæ numine Terpſichores
Afflati, viridique evincti tempora lauro,
Non eſt cur priſcis vatibus invideant.
At tu nobilium, DANDINE, *imitator avorum,*
Frangere qui duros eloquio ſilices,
Et potis es cantu deducere montibus ornos,
DANDINE, *ingenuæ cultor amicitiæ,*
Accipe deſueta properatum carmen avena,
Quodque facis, Muſæ perge favere meæ.

Jam tua Comino Auſonias vulganda per urbes,
Et quæ præſtantes tot peperere viri,
Scripta dedi: paret celer ille, ſuoque labore
Fungitur, & cœptum ſedulus urget opus.

JULIANI BANDI.

DICOLOS DISTROPHOS.

HEu quam triſtis hiems, eheu quã turbidus Auſter
Excitat in placido
Stridentes Rubicone procellas! quæ lutulenta
Jam ruit unda furens!
Imbribus immodicis, nimiumque ſtrepentibus aucta,
Deſtruit ah ſegetes,
Sternit agros, armenta trahit, pecudeſque, domoſque:
Horrida ſaxa rotat.
Tam rapidæ hinc ſubito paſtor terrore ruinæ
Percitus ecce ſtupet.
Ingemit en paſſis exterrita crinibus, illinc
Diffugit, atque fremit,
Immerita exanimis feriens ſibi pectora Nympha.
Ut ſtrepit horriſonis
Sævi ſollicitum Neptuni fluctibus æquor!
Murmurat amnis, & it
In mare fluctifragus; reſonant ſilvæque, lacuſque,
Collis, & omne nemus.

Omnia miſcentur gemitu, miſeroque tumultu;
Omnia terror habet.
Sed cedant luctus, cedant ſuſpiria: plauſum
Quiſquis & ingeminet.
Mutat terra vices: magni Jovis ira recedit:
Ira recedit aquæ.
Undique Clementi Zephyrus nunc flamine ſpirat:
Quæque diu latuit,
Exſerit ex uda, deformi jam obruta limo,
Herba cacumen humo.
En redeunt flores, redeunt en gramina, fruges;
Ecce remiſſus ager.
Florida luctantes ſaliunt per prata juvenci,
Ludit & omne pecus.
Ludunt & Fauni, & Dryades, geminantque choreas;
Cum Satyris hilari
Silvani currunt, certantque haſtilibus acres,
Sertaque quiſque gerit.
